

DOCTRINA, MORIBVS, ET

PIETATE SINGVLARI PRÆDITO IUVENI,

Ioachimo Rudolpho Oppolitano Silesio, hanc Congratulationem, in Magisterij dignitatem, Ingolstadtij, Carmine scripsit elegiaco,

CASPARVS MACER ALBIMOENIVS.



ROMITE Pierides noua Carmina, promite Musæ
Rudolpho Claræ munera digna lyrae.
Huc gressum conuerte tuum, Cyllenia tange
Plectra, cane & iuuenem, Phæbe canore, tuum.
Musarum subito sic turba nouena sequetur,
Floribus Elysij plena canistra ferens.
Hinc uaga describens in primis tempora Clio,
Imponit capitiserta Magisterij.
Euterpe nitidum condonat læta galerum,
Terpsichore exornat flore decente comas.
En Sophiæ laurum socco bene uincta Thalia
Porrigit, extensa Melpomeneq; manu.
Ecce adfert Erato pileum, Polyhymnia pallam,
Vrania, & cytharam, Galliopæa, nouam.
VNDE sed hic tibi tantus honor, dona unde Camoenæ
Tot tibi de sacro monte Helicone ferunt?
Te quia Parnassi norunt gustasse liquores,
Semper & in Dryadum sacra piasse focis.
QVID memorem Rudolphæ locos, quibus undiq; notus
Vidisti celebres non sine laude scholas?
Te longo uidit Cracouia tempore, quare
Nomen adhuc retinet terra Polona tuum.
Quæ fouet altiloquos hoc tempore Nissa Poëtas,
Te docuit, qua nunc paruula Bila strepit.
Fertilis atq; tibi placuit Boiemia, iuuat
Quando in Pragensi uiuere dulce solo.
Postea Pannonias ausis præstantibus arces
Ingressus, patuit pulchra Vienna tibi.
Ad nos huc ueniens, ubi Bõia littora lambit
Danubius, laudes pergis habere tuas.
Aulica detinuit quondam te uita, sed inter
Nunc Dryades uiuis, Pieridesq; Deas.
Fortiter ingenuas artes sectaris in aula
Cyrrhæa, & merito præmia magna capis.
Nam tibi cum multis hodie Zettelius alma
Conferet, ut par est, munera more scholæ.
QVILIBET accipiat precium non uile laboris
Dicet, & hoc summum sentiat esse decus.
Vt reges fuluum decorat diademâ potentes,
Virgineumq; decent floridaserta caput:

Cynthia sic doctos exornet mitra Magistros,
Quos uolo Mænaliū semper amare gregem.
Vos præclara monet præclari nominis ansa,
Ad summum solidæ currere laudis iter.
DELECTENT alios galeæ, uel Martius ensis,
Vos celeri libros uoluite quæso manu.
Vitam conseruet rigidus sine numine miles,
Vos libris teneat Diua Sophia suis.
DENOTAT ingenij dotes, non munera Cræsi,
Annulus, aut regis Lydia dona Midæ.
Vt sponsus signo hoc sponsæ sociatur, amicas
Deuoueo uobis sic quoq; Pierias.
Cum grauitate probos aurum coniungere mores
Admonet, & calamo nunc meliore loqui.
Principium neq; finis adest, mediumq; uidebis
Vndiq; Virtutis quod solet esse uia.
Hæc mancant digitos semper uinctura sigilla,
Illos ut docta cum pietate terant.
QVILIBET accipiat non noxia basia, reddet
Sic etenim ardoris præmia larga sui.
Bastia sed faciles solantur inepta puellas,
Vos magis amplexus, uos meus urat amor.
Diligo Musarum qui Delphica castra sequuntur,
Diligo quem Clarij numinis arma iuuant.
Sic nobis Charites, sic blando Gratia uultu,
Sic nobis semper mutuus adsit amor.
HIS bene finitis studiorum nomine quidam
Deproment specimen, digna ferentq; loco.
Hinc atq; hinc accersiti quæsitâ mouebunt,
Vt decimus grates post reuerenter agat.
NUNC ego, quod superest, accepto grator honori,
Slesiacæ patriæ gratulor atq; tuæ.
Gratulor ex animo summa quod laude Magister
Dicaris, titulo prospera quæq; precor.
Fœlici precor ut fœlix sis nomine Doctor,
Cum studioq; tuum crescat ubiq; decus.
Hocq; tuum Pylis nomen collaudet in annos
Quilibet, ut patrij sis bonâ fama soli.
Interea ceptos perge illustrare labores,
Donec Cumæ sæcula Vatis agas.

INGOLSTADII EXCVDEBANT ALEXANDER ET SAMVEL
Vueissenhornij. Anno M. D. LXII. Mense Februario.

1562

